

teneri ad compensandam partem quae ab aliis ablata vel destructa fuerit; ipsi autem domini supponi possunt consentire ut singuli damnificantes tantum partem a se ablatam vel destructam compensent, ne, si de integro damno reparando admoneantur, ab omni restitutione abstineant.

CAPUT V.

DE CIRCUMSTANTIIS RESTITUTIONIS.

§ 1. DE PERSONA CUI RESTITUENDUM SIT.

551. Universali principio hoc argumentum regitur: ei restituendum esse cuius laesum sit jus. Restitutio enim fit ut laesum jus alienum reparetur. Quare si per errorem alii facta est restitutio quam personae laesae, manet integra obligatio restituendi, cum aequalitas minime reparata sit. Excipitur tantum casus quo res quae in individuo jam alienata est, sine delicto erat in possessione restituentis: nam si transiit ad tertium, neque jam recuperari potest, perii domino, is vero qui possessor erat bonae fidei, nulla jam ratione ad restituendum tenetur. (n. 525). Cfr. Lessium, I. 2. c. 16. n. 62 seqq.

Tres casus hic distingui possunt: nam vel certo constabit vel dubium erit vel penitus ignorabitur ab eo cui restitutio incumbit quis laesus sit seu rei injuste acceptae sit dominus. De singulis easibus quaedam singillatim statuemus.

ASSERTA. I. Quando certo constat quis damnum passus sit, ei restituendum est, etiamsi forte non sit immediatus rei ablatae vel destructae dominus. Is enim cui restituitur, in rei possessionem mittitur: ideo res reddenda est ei qui hic et nunc habet jus eam possidendi. Ita si quid injuste ablatum est depositario, commodatario, conductori et similibus, his, non autem immediatis dominis restituendum erit.

Attamen quandoque immediatis dominis restitutio fieri poterit, nempe si talia sunt adjuncta ut ii qui jus possidendi habent nullum incommodum exinde passuri videantur, vel si iidem probabiliter aestimantur rem cum damno domini absumpturi.

Similiter quae accepta sunt a filiofamilias, uxore, pupillo, religioso, etc. ex bonis quorum isti administrationem non habeant, per se resti-

tuenda sunt patri, marito, tutori, praelato. Attamen restitutio ipsi filiofamilias, uxori, etc. facienda esset, si restitutio patri, marito, etc. facta gravem infamiam illis inureret, nec necessaria foret ut hi indemnes servarentur. (Ball. P. n. 194)

Si laesa est aliqua communitas legitima in iis bonis quae, velut persona moralis, possidet, restitutio facienda est iis qui ejusdem bona administrant: hi enim representant personam illam moralis cui laesio facta est et quae proinde jussit ad restitutio. Sed si ipsa communitas ad finem pravum prosequendum instituta est, neque jus existendi, neque jus possidendi legitime in foro conscientiae habere potest, quamvis in foro externo tale jus ipsi a lege civili agnoscat. Bona igitur quae in communi civiliter possidet, revera in dominio singulorum membrorum esse pergit, ut observat Lehmkuhl. (I. n. 1021) Ideo restitutio pro rata singulis membris facienda esset. Facile etiam pro membris illis pauperes eligi poterunt, praesertim quod raro pars singulis reddenda erit gravis, neque talis restitutio pro rata singulis sine magna difficultate fieri plerumque poterit. Attamen communitatii legitimae, quae bona quaedam in pravum usum adhibet, restitutio, pro damno hujusmodi bonis illato, facienda est: pravus enim usus non impedit quominus jus suum in haec bona servet.

552. II. Si **dubium** est quisnam laesus fuerit vel ad quemnam res aliena pertineat, imprimis diligentia rei valori proportionata adhibenda est ut dubium tollatur. (n. 485) Quodsi nihilominus dubium remanet, alter casus solvendus erit prout dubium inter paucos vel inter multos versatur.

Si inter *paucos* versatur, inter ipsos pro rata dividenda erit res quae restituenda venit, nisi malint ipsi amicam compositionem inire. Exemplum habes in eo qui reddere debet nummum aureum certe ab uno e paucis simul ludentibus amissum.

Si inter *multos* versatur, ut praesertim usu venit mercatoribus qui, fraudando in pondere et mensura, nulli notabile damnum intulerunt, lucrum vero sat magnum injuste fecerunt, conandum est ut restituatur iis qui laesi fuerint, quantum moraliter fieri potest, ex. gr. augendo pondus et mensuram. Attamen nonnisi leviter peccaret qui talem restitutio faceret pauperibus, praesertim ejusdem loci: siquidem, cum nullus graviter laesus supponatur, erga nullum determinatum habetur gravis restituendi obligatio. Immo a veniali quoque excusatetur, dummodo accederet aliqua rationabilis causa, ex. gr. quia sine aliquo notabili incommodo clientibus restituere nequit, vel quia adsunt pauperes valde indigentes, quibus ut restituatur, facilius censeri possunt domini laesi consentire. (S. Alph. n. 595)

III. Si penitus ignoratur quis laesus sit vel quis rei injuste acceptae sit dominus, distinguendum erit utrum is qui restitutioni obnoxius sit, delictum admiserit an non.

Si quis bona fide quaedam aliena acquisivit, ex. gr. existimans rem furtivam reapse ad venditorem pertinere, probabilius ea quae mobilia sunt servare potest, ut de rebus inventis dictum est (n. 485), quae immobilia sunt usucapione acquirere. (n. 489)

Si restitutio ex delicto oritur, sive res aliena in se vel in aequivalenti detinetur, sive mera damnificatio illata est, pauperibus vel causis piis restituendum est. Hanc obligationem unanimi fere consensu DD. admittunt; de argumento autem quo probetur nonnihil dissident. Multi enim eam repetunt ex ipso jure naturali quod jubeat justitiam commutativam laesam reparari, saltem ob commune totius societatis humanae bonum; ideo, deficiente domino, restitutio facienda est pauperibus vel causis piis, cum hac ratione efficaciter commune bonum procuretur et res saltem in spiritualem utilitatem domini impendatur. Alii tamen, quibus adhaeret S. Alph. (l. 5. n. 71), eam obligationem e solo jure positivo stricte constare existimant: quod probabilius videtur. Nempe universalis gentium christianarum consuetudo ad omnia debita e delicto orta extendet quod in Jure Canonico de pretio usurario (Decr. l. 5. t. 19. c. 5) et de lucro ex officio immerite suscepto (Decr. l. 5. t. 6. c. 16) restituendis statutum est. Cfr. Lessium, de Just. et J. l. 2. c. 14. dub. 6.

Quando hujusmodi restitutio pauperibus facienda est, is autem qui restituere debet pauper est, poterit eam sibi applicare: nullo enim jure possidens excluditur e numero eorum quibus restitui possit. (Lessius, l. c. n. 41)

§ 2. DE MODO, LOCO ET TEMPORE RESTITUTIONIS FACIENDAE.

553. I. De modo.

Modus ille per se plane indifferens est, dummodo aequalitas per injuriam laesa restituatur. Nam id unum obtainendum est ut damnificatus indemnis fiat.

Hinc neque actus humanus requiritur (n. 109), multo minus ut restitutio fiat advertente eo cui facienda est; sufficit etiam ut debitum sub specie gratuitae donationis solvatur, vel ut per laborem in utilitatem domini libere assumptum, per indebitam parcimoniam aut similia media compensetur.

QUAER. I. Num servari possit donum quod creditor, cui sub specie gratuitae donationis restitutum sit, debitori rependerit.

RESP. Servari potest, quando merito praesumitur creditorem hoc donum largitum fuisse, etiamsi debitor non fecisset hanc restitutionem, quamvis haec eum aliquatenus impulerit ad donationem faciendam; servari nequit, si constat restitutionem fuisse solam causam motivam hujus retributionis, siquidem nulla est donatio quae fit ex errore circa praecipuam donationis rationem. Attamen etiam in hoc casu quandoque a reddendo dono excusaretur debitor eo quod res donata exigui valoris esset vel reddi nequiret sine donantis offensa. Cfr. Marres, n. 135.

554. QUAER. II. An restituendi obligatio maneat quando res restituenda alii personae commissa est ut domino reddatur, nec tamen ad eum pervenit, sive casu, sive culpa aliena.

RESP. 1º Si restitutio facienda erat tantum ex re accepta, jam ejus obligatio evanescit, si rei detentor eam vel ejus aequivalens alteri viro fideli et diligenti commisit: res enim perit domino, neque jam in altero est ullum fundamentum restitutionis faciendae. Attamen, si culpam juridicam in eligenda intermedia persona commisit, poterit per judicis sententiam ad restitutionem obligari.

2º Si res ex injusta acceptance restituenda erat, regulariter manet obligatio restituendi: siquidem malae fidei possessor in se omnia rei alienae pericula suscipit. (n. 529) Attamen a restitutione iteranda liberatur qui rem commisit personae quam ipse creditor designavit vel quam debitor elegit cum venia creditoris: is enim ita censetur in se suspicere rei periculum. Pariter liberatur qui rem commisit personae quam ipsum jus, tamquam intermedium, designat. Tandem non pauci AA., ut S. Alph. (n. 704), damnare non audent eum qui se liberatum existimat quando rem confessario commisit restituendam. Revera probabiliter censeri potest confessarius, e consensu damnificati rationabiliter praesumpto, designatus ad ejus negotia gerenda: unde aequivalenter recidimus in primam exceptionem supra positam.

QUAER. III. Quomodo restituenda sint ea quae reipublicae vel municipio debentur.

RESP. 1º Si quidam modus lege determinatus est, is servandus erit. Nulla hujusmodi determinatio facta est in Belgio.

2º Deficiente modo per legem statuto, restituendum erit communis administratoribus (n. 551), ex. gr. ministro qui publici aerarii curam gerit, vel iis qui a Statu laesi fuerint. (n. 558) Probabiliter poterit summa restituenda pauperibus a republica alendis distribui, siquidem hujus onera ita minuantur (Gury, I. n. 712): quod potissimum suaderi potest ubi

summa restituenda valorem absolute gravem non attingit vel saltem non multum excedit. Posset quoque pro valore aequivalente destrui e titulis debiti publici. In plerisque vero regionibus ineptus modus esset destruere pecuniam chartaceam (billets de banque), eo quod societas argentaria (banque) a qua emittuntur hujusmodi chartae, solet habere jura prorsus distincta a reipublicae juribus.

555. II. De loco.

1º Qui unice *ex re accepta* restituere debet, non tenetur ad ullas expensas faciendas ut rem transmittat in alium locum in quo dominus versetur: sufficit ut dominum moneat qui, si rem ad se mitti cupiet, expensas solvere debebit.

2º Qui tenetur *ex injusta acceptance*, debet suis sumptibus rem deferre ad locum in quo alter eam habiturus esset, si non fuisset ablata, destructa vel inique detenta, deductis tamen expensis quas dominus eam servando vel deferendo debuisset facere.

Vix hodie in regionibus non omnino barbaris exoriri potest difficultas e magnitudine expensarum quae possessori malae fidei subeundae sint ad restitutionem peragendam. Nam, ob commeatuum facilitatem, plerumque res ipsa ad dominum parvis expensis remitti poterit; quodsi magnae expensae ideo facienda essent, sufficeret rei valorem (mandat-poste, accréditif sur la banque nationale) ad eumdem destinare. Si tamen quandoque nec ipse valor sine magnis expensis remitti possit, pauperibus distribuatur. Determinari autem nequit quantae praecise esse debeant illae expensae ut a restitutione ipsi domino facienda excusat: attendatur ad divitias vel inopiam furis, ad valorem rei ablatae, ad damnum quod dominus ex illius privatione passurus sit. Cfr. S. Alph. n. 598.

556. III. De tempore.

1º Restitutio per se *quamprimum* facienda est, ne quis jure suo diutius privetur. Attamen, ut dilatio restitutionis grave peccatum constitut in eo qui tamen restituendi animum servat, oportet ut is cui restituendum est notabile damnum ex illa dilatione patiatur, neque detur gravis ratio differendi ad tempus. Ob leviorum etiam rationem, dilatio ad breve tempus ab omni culpa excusabitur: quae brevitas e circumstantiis mensuranda erit. (Ball. P. n. 358)

2º Eadem regula, ad dignoscendum *grave peccatum*, adhibenda est etiam cum eo qui, licet statim totum restituere possit, vult, sine causa sufficiente, rem tantum per partes reddere vel ad mortem usque servare, heredibus relicta cura restituendi. Praeter damnum quod ex ipsa dilatione oriatur domino, hic etiam graviter invitus esse poterit ne peri-

culo exponatur numquam recuperandi rem suam, puta quia alter impotens fiet ad solvendum vel heredes restituere omittent. Attamen non raro fit ut homines ad haec damna vel pericula non satis attendant, praesertim quando restitutio tantum pauperibus vel causis piis facienda est. Quare cavendum ne sine fructu a bona fide dejiciantur. (Ball. P. n. 361) Semper tamen exigendum ut statim testamentum scribant vel alia ratione impediant ne, ipsis subito morientibus, omnis restitutio omittatur.

3º Damna *e dilatione culpabili* orta, et saltem in confuso praewisa, reparanda sunt: siquidem e culpa theologica efficaciter oriuntur. Minime vero compensanda sunt damna prorsus extraordinaria: quippe quae praevideri nequeant.

Damna autem *e dilatione non culpabili* orta; per se reparanda non sunt, si restitutio non est facienda e delicto: quia omnis injuria formalis abest. Quando vero e delicto oritur restituendi obligatio, communis sententia cum S. Alph. (n. 680) tenet damna ordinaria reparanda esse: quia vera causa talis damni manet prima acceptio formaliter iusta. Nihilominus non desunt AA. qui merito sententiam excusantem, saltem ut probabilem, amplectuntur: inter quos Navarrus, Dicastro, La Croix, Ball. P. (n. 359) Arguunt ex eo quod justa dilatio, qualis hic supponitur, purgat moram: quare ita differens restitutionem non est iusta causa horum damnorum, nec potest censeri creditor rationabiliter invitus.

N. B. De quantitate restituenda satis dictum est nn. 511 et 529 seqq.

§ 3. DE CAUSIS A RESTITUTIONE EXCUSANTIBUS.

557. Duplex illarum causarum species distinguenda est: una, earum quae sufficiunt tantum ut differatur restitutio, tamdiu nempe quamdiu et ipsae persistunt: altera, earum quae ad omittendam simpliciter restitutionem per se pertingunt.

I. CAUSAE DIFFERENDI RESTITUTIONEM.

Nullatenus ambigi potest quominus licet restitutio differre quando *physice impossibilis* est, ut si non habeas, nec habere possis quod restituendum est. Excusat quoque a restitutio statim facienda *impossibilitas moralis* seu grave damnum quod ex ea oriatur, sive debitori, sive creditor, sive tertio: tunc enim creditor eam urgere nequit, salva caritate, quam justitia evertere nequit. Cfr. D'Annib. II. n. 223. Hinc illa generalis regula, quam Laymann (l. 3. tr. 2. c. 12. n. 1) communem doctrinam esse testatur: neminem teneri ad restituendum cum suo notabiliter majore detimento quam sit creditoris commodum,